

1512 liani casu ab agricola, qui Gallos in via viderat, de eo certiores facti, obsidione soluta tormentisque abductis abierrunt, seque in tutum contulerunt. Julius permoleste ferens recipiendæ Bononiæ partam jam prope a se victoriam Gallos interpellavisse, oppidumque tam illustre sibi ab illis tanquam e manu atque sinu erectum incosolabiliter dolens, homo natura sua in iram atque ardorem animi pronus maxime; ubi de recepta ab exercitu Veneto Brixia nuncium accepit, incredibilem voluptatem cepit: vocatoque confestim ad se, ut erat intempesta nox, legato reipublicæ gratulatus ei est amantissime, ut præ gaudio lachrimas non continuerit, horasque illum prope duas in lectulo jacens lætus hilarisque secum tenuit. cuius quidem voluptatis signa publice postea dedit accensis in Vaticano atque in Adriani arce luminibus cum tormentorum strepitu binis iis noctibus, quæ sunt eum nuncium subsequutæ. Auxilio Bononiensibus allato, Fojus ad Brixiam recuperandam se convertit eo celerius, quod pontem Pado flumine trajiciendo, quem ad Stellatam castellum in Alfonsi finibus magna diligentia fieri jussérat, esse factum, atque in navibus impositum cognovit. itaque eadem celeritate qua venerat, rediens, eo ponte Pado transmisso, in Veronensium finibus ad Villam Francam reipublicæ copias, quæ cum Balione erant, fudit, Guido Rangonio cum pluribus capto: & recta Brixiam contendens, oppidumque circumvectus, copiis eorum finium, quæ in monte arci vicino venientibus se opposuerant, rejectis, in arcem ab inclusis magna gratulatione est receptus.

Grittus, qui sæpe id ipsum veritus, per literas a Patribus tormenta graviora diligentissime petierat; ut antequam auxilia convenienter, capere arcem posset: ubi Fojum esse in illa cognovit, spe retinendi oppidi suum apud animum plane deposita, plurimum questus, quod quæ ad rei bellicæ usum petierat, in tempore allata non fuissent, curam tamen & laborem atque audaciam defendendi non remisit: itaque existimans postero die Fojum in oppidum descensurum: ne quis in fuga spem ullam poneret,

*Veneti a
Gallis ad
Villam
Francam
funduntur
prid. id.
februar.*